



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput XXII. De Decreto Gratiani, & Paleis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

meritate leges Imperatorum debent cor-
rumpi, sed ab omnibus observandæ sunt,
c. fin. Dist. 10. dummodo sacræ Scripturæ
vel Decretis Canonum vel bonis moti-
bus non aduersentur. *c. 1. 3. 4. & seqq.*
dist. 10. nec quicquam de rebus aut per-
sonis Ecclesiasticis statuunt. *c. 7. de Con-*
stit.

C A P U T XXII.

De Decreto Gratiani &
Paleis.

*Quomodo dividatur Jus Canonicum
scriptum. De Gratiano auctore Decreti.
An Decretum habeat auctoritatem legis,
& quam habeant auctoritatem Glossa
& Rubrica ejus. Quomodo dividatur,
& quid contineat Decretum. Paleæ cur
ita dicantur, & quo auctore scripta.
Quam habeant auctoritatem.*

I.

Jus Canonicum scriptum dividitur in
Jus commune & speciale. *Tholos. l. 1.
tract. 2. c. 14.* Commune latum est pro
universa Ecclesia; Speciale pro certa
Provincia, Diœcesi vel loco; Hoc in-
tra illius fines, istud omnes fideles ob-
ligat. Jus commune Canonicum consti-
tuunt

tuunt Decretales Summorum Pontificum, quorum aliquæ translatae sunt in Corpus Juris Canonici, aliæ extra id vagantur, & continentur in Bullario, & magna parte in septimo libro Decretalium. De Bullario actum est supra c. 19. De libro septimo dicetur infra *cap. ult.* Corpus vero Juris Canonici appellatur Volumen illud, in quo jura ad totius Ecclesiae gubernationem spectantia continentur; Et Latine *Corpus* dicitur, sic enim Cicero de volumine scripto ad Lucejum l. 5. *Epist. Videtur mihi modicum Corpus confici posse.* Et in l. *Librorum* § 2. §. 2. *ff. de legatis* 2. Dicitur Ilias corpus Homeri. Dividitur hoc Corpus Juris Canonici in sex partes: In Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX. Sextum Decretalium Bonifacii VIII, Decretales Clementis V, Extravagantes Joannis XXII, & Extravagantes communes. Quibus postea accessit septimus Decretalium. De singulis ordine agemus.

De Decreto Gratiani.

2. Decreti auctor est Gratianus, de quo nemo ambigit & est notorium ait Jo. Andreas in *Merc. de reg. Jur. in 6. sup. data.* Patria non Classensis, ut habet Tri-

Tri-

Trithemius *de Vir. illust.* l. 2. c. 13. Sed Clu-
 sius, natus in civitate Thussia, quæ Clu-
 sum seu Guisa dicta est, non Classa, ut
 depravatè legitur in Pomærio Ecclesiæ
 Ravennatis *Bar. a. 1151. & Possev. in appar.*
 V. *Gratianus*; Professione Monachus Be-
 nedictinus ut testantur citati Baronius,
 Possevinus aliq; probabilius in Monaste-
 rio S. Felicis Bononiensis, prout asserunt
 Monachi S. Felicis, & tradit Sigonius.
l. 1. de Episc. estque communior, quam-
 vis Monachi S. Proculi suum esse affir-
 ment, eique statuam marmoream in
 Claustro, quod hortum respicit, erexe-
 rint; Quibus accedit Maranta in praxi
 3. p. n. 34. & Præpositus Alexander as-
 serens in Proæmio Decreti composi-
 tionem illius factam esse in Monasterio S.
 Proculi. Arnoldus Vion utriusque Mo-
 nasterii Monachos conciliare studet, di-
 citque Gratianum prius monasticam vi-
 tam in Monasterio S. Proculi professum
 esse, deinde transisse ad Monasterium
 SS. Felicis & Naboris, ibique Decre-
 tum compilasse. Certe in hoc Mona-
 sterio elaboratum esse opus constat ex
 Saxo pervetusto, quod in Sacrario ip-
 sius Ecclesiæ reconditur, in quo hi ver-
 sus leguntur:

Hanc

Hanc ædis partem, Lector reverenter
adito:

Namq; loci Monachus Decretum hic
condidit hujus.

Divinum Gratianus opus, quantum-
libet arcto

Contentus septo, quod reparando ca-
ducum,

Et vetus hoc claustrum tolli fuit inde
neceffe.

Et confirmat Epitaphium, quod defun-
cto positum est Bononiæ tale:

*Gratiani Clusini Cesarei Juris &
Pontificii Enucleatoris prope Divini,
qui Monachus in Martyrum Felicis
& Naboris æde absolutissimum ibi-
dem opus Decretorum Anno Gratia
1151. compilavit, Sepulchrum quod
illic Curiaë ruderibus absorptum, hic
magnificentius renovatum. Jo. Fran-
ciscus Aldrorandus Bonon. III. Di-
etator ære publico instauravit.*

*Anno salutis 1498. Idib. Junii Joanne
Bentivolo II. P. P. Remp. feliciter gu-
bernante.*

Prodiit autem in lucem hoc opus se-
cundum verisimiliorem sententiam anno
1151. tempore Eugenii Papæ III, ut habet

volumen vetustissimum Decreti, & chronicon quod inscribitur Pomœrium Ecclesiæ Ravennatis, asservaturque in Bibliotheca Vaticana. Quamvis non improbabile quoque sit vulgatum esse anno 1141, ut habet emendata editio jussu Gregorii XIII. facta, vel anno 1127. ut scribit Tholosanus *l. c. in Schol.* sed Bellarminus *de Script. Eccles.* conciliat hæc dicendo illo anno 1127. forte incæpisse opus Gratianum.

Dicitur *Decretum* in singulari per Synecdochen. licet multa contineat Decreta; Sicut *Digestum* dicitur, quamvis multa complectatur Digesta. Innocentius III. appellat id *Corpus Decretorum Epist. ad Episc. Compostel.* Alii *Concordiam discordantium Canonum*, quem titulum præfert editio Gregoriana supra citata.

3. Auctoritatem legis hic liber à Gratiano nullam habet, quia ipse privatus condere leges non potuit, præterquam quod lapsus sit in multis. *Salas de leg. disp. 12. n. 5.* Errores Gratiani non paucos notat & ostendit Bellarminus *de Script. Eccles.* dum aliqua ex suspectis auctoribus conguessit; Sæpe tribuat S. Chryostomo, Hieronymo, Augustino, quæ ex aliorum etiam hæreticorū scriptis desumpta sunt; *Gratianus enim*, inquit Baronius ad annum

num

num 664.n. 4. & 774.n. 4. *fuit nimis credulus.* Sententias quoque SS. PP. ac Summorum Pontificum non pro ut sunt in fonte, sed suis verbis & glossis permixtas frequenter profert. Neque liber ille auctoritatem habet Canonicam ab aliquo Pontifice, non enim approbatus est, ut nonnulli volunt ab Eugenio III. *Fpo de jure sacro n. 135.* Pius IV. & V. ac subinde Gregorius XIII. opus illud ab innumeris mendis & testimoniorum depravationibus repurgari mandarunt, non approbarunt. *Pref. ad Lect.* Quare contenta hujus libri aliam non habent auctoritatem, quam habeant fontes unde dimanarunt, nimirum Canonicam, quæ ex Decretis Pontificum vel Conciliorum Oecumenicorum, vel etiam particularium à Pontifice approbatorum; Civilem, quæ ex Constitutionibus Imperatorum desumpta sunt. *Jo. Andr. in. c. 2. n. 24. de Rescrip.* Ex sententiis SS. PP. licet juris auctoritatem acquirere non possint, quia eam ipsæmet non habent, ex usu tamen in foro externo ad causarum decisionem adminiculum præbent.

Nec Glossa majorem habet auctoritatem, quam privati alicujus hominis. Composuit eam Joannes Semeca Theutonicus. *Passer. in appan. V. Joannes Ordinis*

Prædicatorum Prior S. Stephani Halberstadii sub initium sæculi 13. *Alberic in præm.* & in multis supplevit Barthol. Brixienfis ut ipsemet testatur *ad 6. tempus 13. q. 2.* est erudita, brevis & succiplena, in aliquibus tamen ab erroribus, & quidem gravibus non immunis. Neque Rubricæ Decreti, quæ sunt Gratiani amplio-rem vim habent, quam cujusvis Doctōris aut Magistri privati; Secus in Decretalibus, Digestis & Codice, ubi Rubricæ & omnia in iis contenta vim obligandi à Pontifice vel Imperatoribus acceperunt.

Numeri & Summaria quæ singulis Capitulis præmittuntur non sunt Gratiani; Sed numeros adjecit Antonius Contius, post cujus editionem alligari ceperunt Capitula per numeros. *Ant. August. l. 1. de emend. Grat. dial. 18.* Quando autem & à quibus Summaria sint addita, incertum est. Forte ab iis, qui additiones Glossarum scripserunt, aut qui primi editionem Decreti curarunt, & forte iidem inscriptiones Distinctionum & Quæstionum in principio cujusque paginæ addiderunt;

4. Dividitur Decretum in tres partes pro numero trium objectorum Juris, quæ sunt: Personæ, Res & Actiones. Pri-
ma

ma pars constat 101. Distinctionibus; Viginti primis agitur de Elementis juris Canonici; Septuaginta tribus sequentibus de Cleri origine, forma, institutione, vita, moribus, officiis; Octo ultimis de Jurisdictione Pontificis. Quælibet distinctio dividitur in Canones sive Capitula, & sic allegantur: *c. Omnes leges dist. I. Vel: Dist. 1. c. Omnes leges.* Secunda pars habet 37 causas, quarum singulæ dividuntur in quæstiones, & quælibet quæstio in sua Capita. Complectitur hæc materiam rerum juridicarum & judiciorum Ecclesiasticorum, atque ita citantur. *c. Si quis suadente, causa* (quod tamen vocabulum plerumque omitti & subintelligi solet) *17. q. 4. vel 17. q. 4. c. Si quis suadente.* Quæstione vero tertiæ causæ 33, quæ est matrimonialis, agitur septem distinctionibus de pœnitentia occasione dubii: An per confessionem soli DEO factam possint peccata deleri. Distinctiones pariter divisæ sunt in Canones seu Capitula, & sic citari solent: *c. Cogitationis dist. I. de pœnit.* Tertia pars habet quinque Distinctiones de Consecratione, quarum singulæ rursus dividuntur in suos Canones seu Capitula, & citantur hoc modo:

c. Solemnitates dist. I. de Consecrat.
Explicatur in his Jurisdictio & ministerium Ecclesiasticum. In fine Decreti ponuntur Canones pœnitentiales, & sunt Regulæ quædam directivæ ad pœnitentias delinquentibus imponendas; Quibus demum subjunguntur Canones Apostolorum.

De Paleis.

5. Sunt quædam Capitula Decreti, quæ Paleæ inscribuntur. Cur ita & quo auctore incertum. Sunt enim, qui illas sic dictas velint, quod res inanes ac leves contineant, & adducitur in confirmationem illius responsum aliquod Gratiani, quod dedisse fertur coram Pontifice, à quo Decreti confirmationem petierat, de interjectis illis particulis: *Palea est, nec de grano meo.* Barth. Capol. de cognit. libr. Jur. Can. in princ. Alii hæc Capitula dici putant τὰ παλαιά, id est antiqua, quia ex vetustis codicibus accepta, & antea in transcriptis ommissa fuerant. Alii ab adverbio μάλιν seu depravata voce πάλιν, id est rursus nominari paleas, quasi additiones seu repetitiones. Cujatius in *c. 1. de spons. duorum* *Paleam* significare putat Canones antiquos.
Alii

Alii sic dici existimant ab earum auctore Gratiani discipulo *Protopalea*, vel potius *Pocapalea*, quo nomine hodie oppidum est & familia in Subalpinis *Cæpol. l. c.* seu ut habet Valente *in proæm. prolus. Concord.*

Quartapalea dicto. *Jo. Andr. in addit. ad Spec. tit. de disput. & alleg.* alique inter quos Jason, qui addit Cardinalem fuisse, & fortè est ille, cujus meminit Barth. *Cæpol. in tract. de cogn. lib. Jur. Can. apud Fagnan. de Const p. 22. n. 44.* Præterea an unus idemque omnium palearum sit auctor, æque incertum est, cum non desint, qui existiment non omnes eodem tempore adjunctas esse, sed aliquas ab eodem Gratiano inter relegendum, alias ab interpretibus ad marginem adscriptas esse, quas deinde librarii sub *Paleæ* nomine, vel sine ullo à cæteris discrimine textui inseruerint. *Admonit. præf. Decret. edit. Greg.*

6. Illud certum has paleas, licet non omnino contemnendæ sint, cum multæ in Decretalibus, aliisque collectionibus ante Gratianum reperiantur, & magistralis doctrinæ contineant auctoritatem, non habere tamen vim Juris & Canonis, cum eam auctores, quicunque illi fuerint, tribuere illis non potuerint, quam

quam non habebant. *c. Trans'ato de rescript. l. fin. C. de leg.* imo minoris sunt auctori-
tatis, quam Decretum & dicta Grati-
ani, cum nec Glossas habeant, nec al-
legantur sub nomine Capitulorum, sed
palearum. *c. Precariae 10. q. 2.* Neq; earum
mentionem faciat Gregorius XII. in Bul-
la Decreto præfixa; Adeoque etiam
Auctores qui Decreto tribuunt auctori-
tatem legis, eam denegant Paleis, quod
Gregorius XIII. eas non comprehende-
rit nomine Juris Canonici, hoc enim
si voluisset, manifestis verbis declara-
set, cum sciret, illas in communi usu, &
solita DD. interpretatione Juris vigo-
rem non habere. *Thom. Canon. in proem. n. 625.* Quamvis Præpositus *in c. impri-
mis n. 14. caus. 2. q. 1.* dicat Paleis etiam
communiter credi, nisi detur jus in op-
positum.

C A P U T X X I I I .

De Decretalibus Gregorii IX.

*Cujus auctoritate, & à quo Decretales
collectæ sint. In quot libros dividan-
tur, & quomodo citentur. De ma-
teria & ordine librorum.*

D^{I.}ECretalium Epistolarum aliæ sunt anti-